

APPENDIX I.

DE TABULIS ROTANTIBUS (*Tables tournantes*).

273. — Paucis abhinc annis (annis praesertim 1852-53-54) in America primum, subinde in Europa tota, immo in orbe terrarum universo, percrebuerunt *tabularum rotantium* stupendissima portenta. In principio visae sunt tabulae, aut etiam quaevis aliae res mobiles in gyrum versari, dum extremo circumstantium digito connexo tangerentur. Mox autem tabulae apparuere, quae uno vel altero pede in altum sublato, percussione soli, aliisque signis responsa interrogantibus exhibebant: nec multo post quaestionibus quoque de rebus prorsus incognitis, aut futuris, aut etiam extra praesentem vitam peractis, in subiecto papyro ope adiuncti calami scribentes satisfaciebant.

Tunc attoniti viri pii, qui primum forte in tabulis rotantibus phaenomenon mere physicum inesse existimaverant, diabolicum opus, infernaleque divinationem indubie agnoverunt. Nec interiecta mora, praxis ista tabulas interrogandi a pluribus Episcopis, utpote superstitionibus et periculis plena, damnata fuit.

274. — Et sane quidquid sit de motu simplici tabularum, qui physicus aliquando videri potuit (10), modo imperio voluntatis non fiat, caeteri effectus adeo stupendi nullatenus naturae materialis viribus, sed prorsus causae intellectu praeditae tribuendi sunt. Numquid enim quispiam tabulae lignae aut marmoreae quaestiones proponit, et ab eadem responsum exspectat? Nemo est, qui adeo insanit; atque adeo merito invaluit persuasio communis, rem agi cum spiritibus, a quibus ipsae tabulae moveantur; quique idcirco *spiritus percutientes* (*esprit frappeurs*) nuncupati sunt. Porro spiritus illi nequeunt esse spiritus boni; blasphemum quippe

(10) Quod quidam inquirere, imo et omnes ingenii vires eo conferre voluerint, ut causae alicui naturali, si qua inveniri posset, haec phaenomena adsignarent, laudi id tribui forte potuit. At vero quod serio eiusmodi effectus demum attribuerint viribus e digitorum extremitate exsertis sive ob insensibiles nervorum impulsus, sive ob arteriae motum, sive ob somniam aliquam vim magneticam (quae sane omnia vel ipsi dein repudiarunt, qui per inanes coniecturas ea primi excogitaverant), et quod non pauci alioquin cordati uti aliquantulum plausibilia admittere ista

visi fuerint, hoc enimvero dolorisne, an pudoris plus nostrae aetati conciliet, incertum sane est. Hisce profecto vanis phantasiis reipsa debetur, quod eiusmodi praestigias non eo, quo par erat, horrore vulgus exceperit, iisque velut lusu quodam pueriliter oblectatus latum aperuerit aditum insigniori daemone fraudi, responsa scilicet per tabulas reddendi, tanto vel ipsis stupidis paganis stupidior, quanto crassior est stupiditas responsum aliquod a tabulis ligneis, quam a pythiis vatibus oracula exspectasse.

foret asserere, Angelos aut Sanctos, aeterna fruente felicitate, intervenire puerilibus hisce hominum ludis, eorum vanae voluntati obtemperare, et stultissimae curiositati satisfacere. Insuper prorsus impie affirmaretur, Deum, qui *divinationem abominatur*, eamque adeo severe prohibuit, permittere, ut caelites ei inserviant, Spiritus igitur huiusmodi dicendi sunt spiritus mali, a Deo in aeternum maledicti, qui iugiter hominibus insidiantur. Porro nonne horrendum est, tale consortium cum immundis spiritibus habere, eos invocare precibus, et sic ipsis verum cultum exhibere? Nonne istud est divinationis crimen, quod a Deo tanquam ingens abominatio prohibitum fuit?

275. — Insuper quot animi terrores, quot detractioes et calumniae de proximo, quot familiarum dissensiones et opprobria, quot errores et apostasiae a vera Fide, quot aeternae salutis pericula ex hac impia et pestifera divinatione exorta sunt! Fatendum tamen est, non omnia prorsus, quae tabulis tribuuntur, esse vera. Aliquando irrepsit humana fraus ad simplices decipiendos. Ast in tanto huiusmodi portentorum numero plurima sunt prorsus indubia, quippe quae a testibus probatissimis et omni fide dignis comprobata fuerunt. Licet vero aliquando affuerit fraus, haec tamen ubi res ut vera agitur, nullatenus a crimine excusat.

Neque fas est, tabulas aliasve res eiusmodi interrogare experimenti aut ioci gratia. Neque enim licet in re evidenter mala experimentum tentare, nec de ea recreari. Et huc sane spectat illud praeclarum S. Petri Chrysologi effatum: *Qui iocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.* — V. *Casus*, n. 271.

De hac re vide inter caetera opus *D. de Mirville*, cui titulus: *Des Esprits et de leurs manifestations fluidiques.*

APPENDIX II.

DE MAGNETISMO ANIMALI.

276. — *Magnetismi animalis* inventor perhibetur Antonius *Mesmer*, medicus Germanus, qui novos quaerens curandi modos, putavit se mirum invenisse medium variorum morborum in fluxu quodam subtilissimo generatim ex animalium (11) corporibus manante, fluxui magnetis simili, quem ideo magnetismum animale nuncupavit.

(11) Iuxta alios *Mesmer* hypothesim sibimet confinxit seu potius somniavit nescio cuius fluidi, quod non animalium modo, sed omnia prorsus corpora pervaderet et occuparet. De iis porro plurimis,

quae ipse addidit circa morbos phantastici huius fluidi ope depellendos, omnia sane perridicula, nihil dicere attinet; quippe quae cum auctore suo, discipulis ad alia conversis, sepulta iaceant.

Fluxus magneticus meare supponitur (12) e corpore *magnetizantis* in corpus *magnetizati* ope variorum gestuum et attractationum alterius in alterum, imo actu solius praesentiae, vel solius voluntatis agentis; nec raro, ut aiunt, prima vice praesertim, expressa patientis voluntas requiritur.

Triplex praecipuus magnetismi effectus seu gradus exhibetur: 1^o status *somni*, quo sensus penitus consopiantur, ut in somno naturali (13), 2^o sta-

(12) Tangitur hic ab A. peculiaris tantummodo quorundam opinio. Notum enim est, turbam eorum, qui eiusmodi artem profiteri, proque ea tuenda quidpiam dicere sunt aggressi, in disparatissima commenta abiisse. Et alii quidem, *spiritualistae* nuncupati, phaenomena omnia unice spiritibus quibusdam tribuerunt, et idecirco ad meras imposturas reiecerunt, quidquid aliud in eam rem alii depromant. Alii a sola *agentis* seu (ut aiunt) *magnetizantis* voluntate cuncta repetunt, et imposturis adscribunt, quidquid de aliquo materiali intermedio, quasi phaenomenorum causa, addatur. Alii contra materialis cuiuspiam medii vi effectus obtineri contendunt; verum et ex his alii quidem fluidum quoddam *magneticum*, alii fluidum *nerveum*, alii fluidum *bioticum* seu *vitale* alii etiam *electricum*, quisque pro lubito ac vi phantasiae, excogitarunt. Interim autem (quod sane notatu dignissimum est) quidquid iactare isti soleant de suo ipsorum fluido aut magnetico, aut nerveo, aut biotico, nondum tamen vel minimum quid protulerunt, quo huius fluidi existentiam et a corporibus emanationem, aut eorum effectum ab eiusmodi causis originem evincant. Unde optime A. dixit meare *hoc e corporibus fluidum supponi*, non vero ullatenus constare. Et sane hoc unum demum isti pro suo quisque fluido aut pro vi imperantis voluntatis, effutiant intrepide, *fluido, a se excogitato, phaenomena illa deberi*: adeo ut, si forte quaeras, cur hic fluido biotico, iste fluido nerveo, illi fluido magnetico haec tribuant, aut quodnam indicium adsit huiuscemodi causae, mutos,

ceu pisces, reperias omnes; et pari prorsus iure effectus illos aut aëri, aut calori, aut oxygenio adscribere te posse defines. Caeterum nil sane mirum, quod in hisce omnibus monstra quaedam systematum exhibeantur, in quibus nihil solidum, nihil sibi cohaerens, nihil sit, quod logicam sapiat. Neque enim iis struendis manum, operamve adhibuerunt viri eiusmodi, qui accuratis assueti disciplinis, solidisque ex culti scientiis philosophicam nossent res digerendi rationem, quae postulat, ut certa praestituantur principia et facta, e quibus dein per severas logicae leges certae deducantur conclusiones; res est nimirum cum manu hominum ex infima medicorum plebecula, qui ea fere methodo incedunt, qua et ioculares per plateas praestigiatos uti solent. Et hinc factum est, ut quaecumque demum isti aut buccinando aut scripfitando de istiusmodi fluidis eorumque mirificis virtutibus iactarunt, ea omnia a scientiarum Academiis, quotquot in Europa habentur, risu et contemptu excepta fuerint, et ad circulatorum amandata.

(13) Comparationem inter somnum naturalem et hunc artificialem accipe dumtaxat quoad aliquem generatim sensuum soporem. Nam caeterum toto caelo sopor a sopore differt. Et sane numquid de naturali somno fit, quod de artificiali habemus etiam in Postulato Lausanensis Episcopi (infr. n. 280.), cum quis *in eum statum soporis ingreditur, ut nec maximus fragor ad eius aures, nec ferri ignisve ulla vehementia excitare illum valeat?* Vid. Caroli (*Del Magnetismo Animale*, part. 1. cap. 9. n. 30.),

tus *somnambulismi*, in quo quis usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia, quae ab ipso postulantur; 3^o mira sui status cognitio, et remediorum suis morbis convenientium, necnon visio actionum aliorum hominum etiam longe distantium, et eorum omnium, quae tum prope tum procul peraguntur.

Theologi et medici in tres abierunt sententias (14), quas breviter referemus cum praecipuis earum rationibus.

277. — 1^a SENTENTIA in omni casu reiicit et execeratur magnetismum velut opus diabolicum; miri enim illius effectus, aiunt, neque ex Deo neque ex natura repeti possunt.

1^o *Non ex Deo*. Quis enim unquam sanae mentis sibi fingat Deum ad hominis etiam impii nutum ita obtemperantem, ut eo requirente ad res adeo prodigiosas immediate concurrat, legesque a se statutas immutet, quoties homini libuerit? Numquid Deus praeter rerum ordinem ad infinitam virtutem suam manifestandam voluntate humana cogi poterit? Huiusmodi assertio blasphema foret.

2^o *Neque ex Natura*. Etenim ad effectus magnetismi producendos requiritur voluntas agentis, imo et patientis, saltem prima vice. Nulla autem datur proportio naturalis inter actum mere internum voluntatis et causae physicae effectum. Nam physica semper agunt eodem modo debitis conditionibus positis, independenter a voluntate humana, ut exemplo fluxus electrici patet (15); ergo deficiente proportione inter effectum et

qui multiplici recensito inter somnum et somnum discrimine, iure merito post alios concludit, artificialem hunc soporem proprie ne nomen quidem somni mereri, quocum nimirum nihil commune habeat.

(14) Merito A. praetermittit quartam sententiam, nonnullorum videlicet, qui mira, quotquot narrantur, *magnetismi* phaenomena, aut ad fabulas reiecerunt, aut velut imposturas, merasque ioculatorum praestigias credi voluerunt. Ita, v. gr. Debreyne, cuius merces nonnemo in nostram quoque Italiam transvehere operae pretium duxit. Ad caeteras nimirum miseras haec quoque malo accessit fato, ut ubi vel maxime oportebat advigilantiam communem excitare, ne lues haec latius grassaretur, isti insigni prorsus imprudentia ad consopandos homines curas omnes intenderent, rati, ut videntur, singularem sibi in arte critica laudem comparasse, dum reipsa

nonnisi mirae simplicitatis notam referre potuerunt.

(15) Requiritur scilicet iuxta istos in uno quidem voluntas, ut aiunt, *magnetizandi*, in altero autem consensus in excipiendam alterius actionem. Porro si de iis sermo sit, qui negant quamlibet fluidi cuiusvis emissionem et efficaciam, totumque effectum a solo voluntatis imperio repetunt, per se patebit absurditas hypothesis; nulla enim philosophia, nulla theologia (medicorum enim alogorum somniis deferre aliquid nemo tenetur) hanc vim in externa obiecta interno voluntatis actui citra aliarum potentiarum ministerium concessit unquam. Si vero cum iis agitur, qui efficaciam repetunt a fluido; tunc utique valet Auctoris ratiocinatio, absurdissime nempe dici, quod emissi, ut supponitur, fluidi actio pro voluntatis lubitu ita temperetur, ut aut statim vim exserat

causam, haec sane naturalis censeretur nequit, et proinde ab infernali virtute effectus repetendus est. — Insuper miri effectus magnetismi videntur naturae nostrae vires omnino superare; non intelligitur enim quomodo *magnetizatus* etiam rudis, usu rationis et sensuum privatus possit tam multas praeclaras scientias extemplo sibi comparare (16), linguas penitus ignotas scire, videre res remotissimas, inspicere intimas magnetizantis cogitationes, necnon proprias aliorumque infirmitates et his congrua cognoscere remedia, quae alioqui prorsus ignorat, et quorum, in statum naturalem restitutus, non recordatur.

Et haec quidem prima sententia solido sane et prae reliquis firmiori fundamento innititur.

278. — II^a SENTENTIA tenet, omnes magnetismi effectus a naturae viribus procedere posse. Ita non pauci medici. Ratio eorum est, 1^o Quia inesse possunt quibusdam humanis corporibus effluvia subtilissima (17),

aut hanc suspendat, ut effectum aut protrahat aut cito absolvat, etc. Et haec quidem quoad voluntatem *magnetizantis*.

Multo autem minus ratio reddi potest (rationem dico, quae satisfacere homini sana adhuc mente utenti possit), cur requiratur consensus patientis. Ubinam enim philosophia, ubinam communis hominum sensus admisit, aut admittet unquam, consensum voluntatis nostrae praerequiri, ut physica externae causae vis, caloris, v. gr. afficere corpus ac sensus nostros possit? Reponunt nonnulli, consensum patientis praerequiri, ne contrariae voluntatis influxus in corpus impediatur magnetismi effectum in organis corporeis. Ita illi. At enim 1^o nullus eiusmodi obex in eo esse potest, qui incogitans sopiatur; imo hic magis paratus, utpote tranquillus, ad excipiendos effectus foret. Cur igitur et consensum exigunt? 2^o Consensus requiritur ut se actioni magnetizantis subiiciat, nullatenus vero ut effectus sequantur; hinc 3^o postquam semel quis consenserit, effectus sequitur, quantumvis patiens operationi enixe obluctetur, eamque impedire conetur; plura eiusmodi exempla videsis apud Caroli (*Op. cit.* part. I. cap. 4.), in quibus pluries effigiem cernes sibyllae bacchantis, quam spiritus pytonis *fatigat*,

os rabidum, fera corda domans, fingitque premedo (*Aeneid.* lib. 6. v. 80.). Et hoc quidem vel unum indicium ad harum praestigiarum indolem, nisi si sponte caecus quis esse velit, per se sufficeret.

(16) Haec et alia eiusmodi ab Apostolica Sede iam expresse damnata, tamquam superstitiosa, in decretis infra subiectis reperies.

(17) Quaestio hic fieri non debet, utrum ab humanis corporibus diffundi queant effluvia subtilia: nam eiusmodi effluvia, et saepius quidem graveolentia, imo et noxia, non ab humanis modo, tum vivis tum praesertim mortuis, sed ab aliis quoque corporibus diffundi experimur quotidie omnes. Sed alia sunt, quae magis ad rem faciunt, quaeque ab istis medicis philosophiae plane aut expertibus aut oblitis studium aliquod nequicquam adhuc expectant. Evincant itaque, 1^o hoc effluviu, quod confingunt gratis, gratisque *magneticum* dicunt, aliquo se indicio prodere, non secus ac fluidum electricum, huiusque magneticae fluxiones se manifestant; 2^o evincant, eiusmodi effluvia imperio voluntatis ita subiicere, ut haec pro lubitu ea retinere, emittere, in corpus proprium quoque (ut isti somniant) revocare possit; 3^o evincant, ista fluida, etiam postquam emissa e

fluxus magnetis instar, quae in aliorum corpora, mediantibus organis, in ipsam animam agant. Non enim omnes naturae vires cognoscimus, innumerique sunt earum effectus, quorum rationem reddere nobismetipsis non possumus (18). — 2^o Quia effectus similes in naturali somnambulismo producentur; somnambuli enim vident, audiunt, et stupenda faciunt, quae ab ipsis in statu vigiliae fieri nequeunt, nec viribus ordinariis naturae competunt (19). — 3^o Nec obstat, quod requiratur aliquando vel ordinarie voluntas patientis; non enim requiritur quatenus voluntas, seu quatenus facultas mere interna animae, et a corpore independens; sed quatenus medium ad phantasiam excitandam, et spiritus subtiles corporis commovendos, sicque ad vim in statum moralem hominis exercendam (20).

Verum rationes istae non patefaciunt, quomodo homo rudis, rerum verborumque plane insecus, infusa scientia gaudeat; quomodo res a se valde dissitas cernere necnon de iis disserere queat. Minime ergo apparet, qua ratione haec praxis a crimine *divinationis* excusari queat. Edisserant etiam nobis huius doctrinae fautores, qua ratione vera miracula a magnetismi praestigiis discerni possint. Plura enim mira, quae a magnetizatis patrantur, in viris sanctis ab Ecclesia ceu naturae vires et ordinem excedentia habita sunt (21). Haec igitur sententia, ut falsa et periculis plena, reiicienda est.

corpore fuerint, voluntatis tamen praecipis parere posse (nam et ista superaddito aliis opinionum monstris cumulo iactantur), non secus ac servus domino pareat.

(18) Licet perspectae nobis non sint omnes naturae vires, perspectum tamen id est, quod naturae viribus et agendi legibus repugnat. Ex iis porro, quae isti iactant, innumera sunt, quae naturae legibus prorsus repugnant; pauca inferius innuemus.

(19) Vel ipsi *magnetismi* fautores quandam dumtaxat analogiam inter somnambulismum naturalem ac magneticum (quem improprie somnambulismum dici fatentur) demum admittunt. Nam alioqui tum natura, tum phaenomena utriusque status longissime inter se distant.

(20) Haec falso prorsus et mere ad fucum faciendum dicuntur; idque evincitur non modo ex superius (§. praec. not. a)

dictis, sed etiam quia, ipsis fatentibus, postquam semel quis consensit, etiam incogitans, atque adeo citra ullam phantasiae excitationem sopore corripitur.

(21) Haec illos catholicos impetunt, qui mirifica quadam bona fide nihil superstitionis in his omnibus suspicari norunt. Nam increduli et christianae Religionis hostes imo phaenomenis istis, quae naturalia esse contendunt, ad evertendam auctoritatem miraculorum abutuntur. Quod vero quidam ad eorundem miraculorum auctoritatem tuendam, eo unice conatus contulerint, ut partim in dubium revocando ipsa facta, partim coniecturis subinde valde miseris ad naturales effectus eadem violenter pertrahendo, a veri miraculi notis longe abesse ostenderent quaecumque magnetismo tribuantur, id ingenii aliquam, prudentis vero criterii nullam sibi laudem vindicat.

279. — III^a SENTENTIA distinguit inter varios effectus a magnetismo productos. Iuxta eius patronos admittendum quidem est, saepe saepius daemonem in magnetismo operari, idque cum effectus productus pendet tantum, aut saltem praecipue a voluntate agentis: vel quando *magnetizatus* per scientiam infusam addiscit scripturam, litteras, vel etiam linguas, quarum notitia penitus antea carebat, vel quando novit aut videt ea, quae in magna distantia fiunt. Hoc enim videtur omnino vires naturae excedere, nec talia in naturali somnambulismo efficiuntur. Nihilominus non repugnat, ut aiunt, magnetismum alios miros effectus naturaliter operari: mirifica enim est in variis corporibus virtus et efficacia fluxus naturalis.

Hinc sententiae huius patroni concludunt, probabiliter admitti ut naturales posse effectus magnetismi in primo et forte in secundo gradu, scilicet in *somno* et in *somnambulismo* (22), non vero in tertio gradu,

(22) Fuerunt, qui in magnetismi patrocinium etiam Sedis Apostolicae responsa pertraherent; quia nempe Congregatio S. Officii ad quaestionem, *utrum magnetismus, generatim acceptus et in se, censeri debeat licitus an illicitus*, die 23. Iun. 1840. responderit: *quod remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, etc.*; et insuper idem responsum referens S. Congregatio in Litteris ad Episcopos Ditionis pontificiae datis ann. 1836, expressam *usus magnetismi* mentionem sic fecerit: *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, etc.*; quasi scilicet S. Congregationis sententia admittendus reipsa sit magnetismus aliquis animalis, cuius usus sit licitus.

Sed nihil ineptum magis. S. Congregatio, prout saepius sancte testati sunt eiusdem S. Congr. Consultores, nullum unquam de physica huius magnetismi quaestione examen instituit. Quod quidem luculenter patet etiam ex responso, quod sibi a Sede Apostolica redditum sic narrat Eminentiss.

Card. Gousset (*Theolog. moral.* tom. 1. n. 425.): Anno 1842. *nos consulimus Summum Pontificem de hac quaestione, idest, num sepositis abusibus rei, et reiecto omni cum daemone foedere, liceat exercere magnetismum animale, et ad hunc confugere velut ad remedium, quod plures habent ut naturale et utile sanitati. Eminentiss. Card. Magni Poenitentiaris, die 2. Sept. 1843. respondit: Hanc quaestionem non adhuc esse a Sancta Sede serio perpensam, nec tam cito esse responsuram.* Eiusmodi porro responsum nonne pugnare cum praecedenti videretur? Vel suspicabimur, Sedem Apostolicam ann. 1840., priusquam nempe quaestionem perpenderet, eandem resolvisse? Sic igitur se res habet, quod S. Congregatio, quidquid de *magnetismo* incerti ferrent rumores, quidquid etiam foret de inanibus aut somniis aut coniecturis eorum, qui de horum phaenomenorum causa inter se rixabantur, interrogata a quibusdam, qui ad novas has praestigias timore percellabantur, satis iis prospectum fore censuit, in mentem ipsis prima illa principia revocando, quibus in eiusmodi dirimendis dubiis theologi nunquam non usi sunt, nempe nihil esse superstitionis in usur-

seu in *statu visionis*. At (quod isti parum advertunt) probandum foret, nullum ex eiusmodi effectibus legibus physicis ullatenus repugnare (23),

pandis mediis ad connaturales fines proportionatis; secus, si haec abesset causam inter et effectum proportio. Ad quam responsionem reddendam nihil sane opus fuit de incertis circa phaenomena et horum causas rumoribus examen instituere. *Magnetismi* ergo nomen adhibuit S. Congregatio, quia hoc nomine vulgo utuntur omnes, et quia eodem usi fuerant, qui responsa postulaverant.

(23) Minus dextere, ut videtur, a quibusdam attingitur haec tanti momenti quaestio; et exinde forte fit, ut potiusquam aliquid lucis ipsi afferant, densioribus eam tenebris obvolvant, implicentque magis.

Quidam nimirum quaestionem e statu ipsius reali et concreto ad phantasticas transferunt regiones, et phantasiae indulgentes quaerunt, an forte possibilis vis quaedam, an possibilis effectus, si imaginaria illa vis suam virtutem exsereret, etc. Atque hinc miserrima illusio; quippe his phantasmatis abrepti, sententiam ferre de factis ad eorum phantasmatum normam volunt. Rogandi isti sunt, ut dimissis phantasiae ludibriis quaerant in concreto de iis, quae re ipsa fiunt, et de modo quo fiunt, et quae ratio eorum reddi soleat. Secus et se et alios decipient, et aërem, ut habet proverbium, verberabunt.

Alii vero solum inadaequate rem considerant, et universam quaestionem adducere videntur unice ad inquisitionem, an phaenomena, ut dicunt, *magnetica* locum habere in somnambulismo naturali possint, nec ne, superstitionis exinde absentiam, aut praesentiam, atque adeo licitum aut illicitum definiunt *magnetismi* usum. — At non uno et haec theoria laborat incommodo. Ac primo quidem nonne fatentur omnes, et hi quoque fatentur nobiscum, in *magnetico* somnambulismo etiam illa apparere phaenomena, quae tamquam *superstitiosa* et *diabolica* a Sede Apo-

stolica expresse damnata fuere, quaeque ideo naturae viribus in naturali quidem somnambulismo tribui possunt? *Magneticus* ergo somnambulismus, cuius effectus et phaenomena viribus naturae non respondent, naturalis esse non potest. Atqui ubi constat, causam adesse, quae naturalis non est, perperam argueretur, eam causam esse naturalem, propterea quod effectus aliquis forte a naturalibus quoque viribus profluere posset. Nam utique ex causae naturalis ad quempiam effectum insufficientia necessario arguitur causae praeternaturalis praesentia et efficacia; at non viceversa ex naturali effectu iure concluditur causam esse naturalem, quando praeternaturalis causa, quae adest, plus et minus, adeoque utriusque ordinis effectum potest producere. Neque vero solum necesse non est in hisce adiunctis ad naturalem causam recurrere; sed vetat sana ratio, ne de ea suspicemur quidem. Et sane iugi experientia constat, in *magnetico* somnambulismo indiscriminatim utriusque ordinis (ut ex horum sententia loquamur), praeternaturalis nempe et (ut volunt) naturalis haberi phaenomena quod autem huius potius quam illius ordinis phaenomena se prodant, id non ex quapiam somnambulismi diversitate aut immutatione in somnambuli seu somniloqui statum inducta pendet, sed mere ex arbitrio adstantium, qui hoc vel illud responsum, hanc vel illam praestigiam forte postulent. Atqui ubi effectuum discrimen, si quod est, mere ex accidentali extrinseca occasione pendet, aliunde vero constat causam adesse praeternaturalem ad omnes illos effectus parem, quae nullam mutationem subit, perperam in naturali somnambulismo, cuius nullum vestigium apparet, causalitas alia inquiretur. Ergo.

Atque hinc quidem ulterius progredi ratiocinando licet. Nam si huius somnam-

atque adeo ab ipsa natura provenire posse. Deinde haud oblivioni tradendum est, non raro diabolus rebus ipsis naturalibus se se immiscere, ut hominibus illudat. — V. *Casus*, n. 273.

bulismi status praeternaturalem causam habet adnexam, somnambulismus autem somnum magneticum fere comitatur, nec ab eo nisi per accidens, ut constat experientia, disiungitur; merito iam eidem causae tum somnus tum somnambulismus adscribetur.

Verum praestat hoc ipsum directe evincere, nempe magneticum soporem seu somnum tot, tamque manifesta praefere superstitionis indicia, ut mirum omnino sit, oculos virorum alioqui cordatorum ea effugere potuisse. Et hinc patefiet rursus, quam inani labore quidam ad excusandum a superstitionis crimine istiusmodi, ut dicunt, *magnetismum*, illud unum inquirendum putent, num quodpiam *magnetici* huius somnambulismi phaenomenon existimari possibile etiam in naturali somnambulismo queat. Si enim sopor ipse somnambulismo praevius superstitioso opere non caret, iam patet, incassum dubia de reliquis soporem ipsum consequentibus moveri. Hoc interim tantummodo ratum habeatur, iudicium ferendum esse de factis, non qualia quispiam sibi phantastice confingat, sed qualia reipsa contingunt, atque a testibus enarrantur; hoc enim semel praestituto, superstitio soporis, ut aiunt, *magnetici* levi negotio se prodat.

Et sane constat et constare penes omnes debet, in casu superstitioso atque adeo diabolicum opus iudicandum esse, ubi ob defectum proportionis inter causam et effectum nulla naturalis causa phaenomeni assignari possit. Atqui ob proportionis defectum inter effectum et causam in casum cedunt quaecumque excogitari poterunt ad naturalem causam sopori magnetico assignandam. Ergo.

Superest solum probanda minor argumenti propositio. Praetermissis itaque illis, qui haec omnia attribuunt quibusdam spi-

ritibus (nam eiusmodi spiritus non possent nisi daemoniaci credi), nulla causa excogitari potuit, nisi aut mera *magnetizantis* voluntas, aut eadem voluntas cum intermedio quopiam fluido, quocumque demum nomine placeat illud appellare. Atqui neutra causa cum effectu proportionem habet.

Et quod ad solam voluntatem atinet, aut merum actum immanentem in ipsa supponimus, aut utentem ministerio alterius potentiae. Atqui actus immanentis virtus tota in ipsa voluntate consummatur, nec ad extrinsecum sibi effectum transit. Actio vero voluntatis, si subordinatae potentiae ministerio utatur, eiusdem potentiae facultate ita circumscibitur, ut effectus ipsam facultatem excedere non possit; nemo autem adhuc somniavit, alicui ex potentiis voluntati subordinatis vim inesse effectus, de quibus sermo est, *per se* producendi. Manifestum est igitur, causam phaenomenis soporis *magnetici* parem, nisi insuper ad aliud instrumentum recuratur, in sola voluntate *magnetizantis* non haberi.

Atqui non minus absurde ad auxilium alicuius fluidi confugitur. Pauca e plurimis, quae dici possent, attingamus. Et quidem res confici unico argumento posset. Nam si causa magnetici soporis in vim *fluidi* reici debet, sublata huius fluidi vi sopor nullatenus haberetur ex illo principio: *sublata causa, effectus tollatur oportet*. Atqui experientia constat, soporem istum etiam abiecto hoc *fluidi* instrumento obtineri; immo primipili ex magnetismi patronis fatentur ingenue, quaecumque dici consuevere de vi alicuius *fluidi*, aut de tactibus et gestibus ad transmittendum fluidum praescriptis, omnia ad imposturas esse ableganda. Ergo neque in quopiam ex somniatis *fluidis* reponi posse soporis huius causam patet.

Curia Romana interrogata circa usum magnetismi in genere, respondit in Congregatione S. Officii die 21 Aprilis 1841: *Usum magnetismi prout*

Sed etiamsi in se inspiciatur alicuius fluidi hypothesis, haud minus haec scetel absurdis. Profecto cum medium non detur inter substantiam spiritualem et materialem, hoc fluidum substantiis materialibus accenseamus prorsus oportet. Ipsius igitur actio repugnare non debet virium physicarum legibus. Atqui phaenomena actionis magneticae, qua sopor inducitur, his legibus prorsus repugnare passim deprehenduntur.

Et sane 1^o Actio virium physicarum non est varia pro solius diversitate intentionis; hinc si manum admoves igni, calesces, sive adsit sive non adsit intentio. Atqui gesticulatio quaevis magnetizantis nullum habet effectum, nisi adsit intentio magnetizandi. Ergo.

2^o Actio magnetica ita pendet ab intentione, ut cum duae vel plures personae sint praesentes et in iisdem omnino circumstantiis, iuxta magnetizantis intentionem altera corripatur, altera nihil patitur, idque tunc etiam, quando magneticum effluvium ad illam pervenire non queat, nisi prius hanc invadat. Atqui hoc in causa mere physica repugnat. Ergo.

3^o Repugnat actioni causae mere physicae et materialis, quod motum conceptum suspendat ad merum voluntatis imperium, v. gr. quod lapis in aërem proiectus retardet cursum pro voluntatis nutu. Atqui posita iam soporis magnetici causa, suspenditur tamen pro voluntatis arbitrio effectus ad duas, tres, pluresve horas. Ergo.

4^o Repugnat viribus causae mere physicae et materialis, quoad ipsa per se quaerat obiectum corripiendum, et agenti principali ignotum, non secus ac nempe canis dimittitur, qui leporem quaerat. Atqui dum magnetizatur quispiam longe etiam pluribus leucis absens, fluidum magneticum per se quaerat oportet personam ma-

gnetizandam, quae tamen ubinam sit, ad orientem ne, an ad occidentem, ipse quoque magnetizator ignorat. Ergo.

5^o Id ipsum dicatur de phaenomenis partialis cuiuspiam paralysis aut catalepsis, quae inter magnetizandum inducatur. Subito enim aut oculum, aut brachium, digitumve aut linguam, etc. ad magnetizantis nutum vis magnetica corripit, obstupefacit, rigidat, et subito ad nutum dimittit. Opus ergo foret, ut fluidum magneticum et praetermissis reliquis omnibus corporis partibus caeterisque nervis, eos solum nervos attingere scientissime nosset, qui exequendo magnetizantis imperio sunt idonei, et quos alioquin ipse magnetizans non cognoscit. Atqui haec omnia viribus causae mere materialis repugnant, et cumolum absurditatum involvunt. Ergo.

6^o Neque aliud ferri potest iudicium, quando sopor iste inducitur non per effluvium magneticum immediate in personam injectum, sed mediante re quapiam, ut aiunt, magnetizata. In hac enim hypothesisi 1^o magneticum fluidum, ita magnetizatore imperante, se totum recipit et consistit collectum in parvo aliquo corpore, v. gr. anulo, forfice, nuce, etc.; 2^o dumque manet ibi alligatum ita, ut quibusvis adhibitis chemicis mediis non abstrahatur, et re ipsa combusta in cineribus residat, ad nutum tamen voluntatis illico inde avolet; 3^o licet vero magnetizatum corpuseculum plures personae tangent, versent, retineant, etc., vim tamen persentiat atque adeo in soporem inducatur ille unus, quem voluntate sua magnetizator prius designaverit. Atqui physicis legibus repugnat 1^o quod vis mere materialis, v. gr. odoris effluvium, semel emissa, voluntati, se totam in corpuseculum recipiendo, obediat; 2^o quod sola imperantis voluntatis vi inde discedat; 3^o iti-